in parentem pietate insignem animaduertimus. Tum in patria non minori studio futuram speramus. Exemplum quinti. Cum uita p tua salute: tum opes omnes pfundere nunquam dubitabo. Quod fitum in eadem oratione geminet aut in diuersis: comitantiam siue differentiam signat. ut Cicero tum natura: tum consuetudine ad omnes res honestas flammato studio rapiebat. Spenumero tamen nimia obeundi negotii opportuna celeritate oppressi: aut occupationibus aliis distracti: aut parua adhibita diligentia: in consulse in concursione & assiduitate uel litterarum uel sillabarum uel dictionum uel utrarumque incidimus. Quod etiam apud ciceronem cum eloquentie principe: tum etiam harum compositionis rationum & preceptorum optimum artificem aliquem comperimus: sed tamen est curandum diligenter: & quod fieri possit ut ipsa conuersationis & nimia assiduisatis uitia declinemus.

De ordine.



Ordo est quedam uerborum orationumque inter se: uel naturalis uel artificialis dispositio. Circa quem obseruandum est: & sit hoc octauum in ordine nostro preceptum. Quod semper oratio crescat & augeatur: ut quod sequitur magis eo sit quod antecedit: ut nobilis & egregius. Magnus & illustris. Crudelis & immanis. Fur & sacrilegus. Augeri quidem uult oratio & insurgere: non minui. hoc uerum cum uerba ad eandem sint rem relata. Quod si ad diuersas nullum admittit uitium: qui ab hac ordinis ratione discedit: ut cum alium sacrilegum prius dixeris: alium de hinc furem appellas. Exaugere autem ac multiplicande orationis ratio: triplex reperitur apud oratores. Una que pertinet ad unicam orationem multis uerbis coadornata. Altera que ad plures multis ex partibus grammatice orationis amplificandis. Tertia que est accommodata epistolis & orationibus atque ceteris oratorum dicendi rationibus: non solum uerborum copia exaggrandis: uerum etiam negotii rerum locupletandis. Prima ergo coaugmentande orationis animaduersio est: ut in nostra oratione coaceruemus: multa nomina substantiua uel propria uel appellatiua

aut etiam adiectiua: positiua: compatiua & suplatiua: aut uerba
pſonalia aut impſonalia: aut participia ī omnib⁹ temporib⁹ po/
ſita: aut gerundia uel ſupina: aut p̄nomina primitiua aut deri/
uatiua: aut aduerbia politiua cōpatiua & ſuplatiua: quę dictio/
nes huiuſcemodi ita gradatī collocent: ut alterā & alterā & aliā
alia ſubſequat: quę maiorē uim & efficaciorē uebementiā ipor/
tet: ut orationis ſententiā magis adauctā efficiet. Vt in hoc ex
emplo. Cū iuſtiā eam ipſam apertiffime conſtare uideam⁹: ex
q̄ oppida: ciuitates: puincię: natiōes: regna atq; imperia guber/
nant: conſeruant: amplificant: omnē igitur cogitationē: diligē/
tiam: actiones: fortunaſq; noſtras: nos deniq; totos libētē ex/
ponere debem⁹: ut ea ipſa iuris equitas diligenter excolaſ. De
ſecūda coaugmentandę oratiōis ſpecie exemplū tolle. ut ego p/
pter magnū Ciceronis in me amorē: & ppter inſignes eius uir/
tutes: atq; ppter magna & multa ſua benemerita eū plurimū di/
ligo. Item ego enī cum propter magnum Ciceronis in me amo
rem: quem ſemp optimū fuiſſe cognoui: tum etiam ſua erga me
benemerita: quę ab ipſo quidem multa & magna recepi: eū pfe
cto mirifice diligo. Ecce quomodo oratio p̄cedens ex relati/
uis interpoſitis multiplicat. Sic enī ex omnib⁹ orationis parti/
bus oratio multiplicari poteſt. Sed de omnib⁹ ponere exempla
Item & de tertia augmentandę orationis ſpecie: nō tam plixū
eſt q̄ laborioſum. De hoc autē relatiuorū exemplo & aliis ora/
tionū partibus: circa multiplicandas oratiōes: quō opportune
concurrant in ſuis propriis diceſ locis. Nonū p̄ceptum: Qđ
dignitas rerum attendi debet ac naturę: ut quę in eodem gene
re dignitate naturę p̄ſtant: ea minus dignis in oratione ante
ferantur: ut uiri ſeminis: ortus occaſui: dies nocti: ſecundę res
aduerſis: honeſtę turpib⁹. & multa ad hunc naturę modū ſimi/
lia: Hoc uerū cum aliqua uerba ſeſe immediate ſequunt. Nihil
enim ipedit: ſi a ſe diſtantia fuerint: & in diuerſa orationis po/
ſita parte: aut ad diuerſum tempus ordinęq; relata: quę minorē

dignitatē habeant posse digniorib⁹ anteferri. ut in hoc exem/
 plo. Cū ingens agmen prius mulierū: de hinc uirorū in manus
 hostium puenisset: secuta est subito cunctis in rebus captiuitas
 Idem ī separatis uideri multo facilius est. Decimū pꝛceptum
 Cauendū est ne uerba in oratiōe ociosa sint: ne supuacua: ne ni
 hil agētia: quod uitiū qui euitare uolet: semp genus suę speciei
 anteponet. ut Castor & pollux: fratres gemini cū finitimis bel
 lum gerebāt. Supuacue igit & iēpte dicereſ gemini fratres. Nā
 cū oēs gemini fratres sint: nihil op⁹ erat: cū gemini dixisset frēs
 adiicere. Vndecimū qđ uerba reb⁹ de quib⁹ loqmur sint acco
 modata ne plus minusue q̄z dignitas rei postulabit. significare
 uideantur. Nā qui agricolā illustre. aut regē parcū inter laudan
 dū appellat: nō mediocriter uitiū icurrit: qm̄ illic adiectiuo am
 pliori: hic angustiori q̄z rei natura poscat utatur. Duodecimū
 qđ nō abutamur unius uerbi significatione p altero: ī quibus
 nulla similitudo reluceat. ut si fundū eruditū appelles: aut mili
 tem sine armis instructū incedere ad bellum dicas. Opus itaq̄
 erit ppriam significationē uerborū a grāmaticis repetere: & re/
 rū naturas cōsulere: q̄s ornatus rebus: de quibus sit accomodan/
 dus. Decimūtertiū: qđ inter adiectiuum & substantiuū aliquę
 interponant dictiones: quę pfecto ex omnibus partibus grā/
 maticę orationis cōmodissime sumi possunt. ut Amplissimam
 M. T. C. facultatē rationēq̄ dicendi ingenio studio atq̄ doctri
 na consecutus est. Item summā equidē Maria leticiam suscepit
 cum sibi ab angelo filiū dei se pariturā nunciatū est. Item. Tam
 multa legisti librorū uolumina q̄ ī uirum tandem peritissimum
 euasisti. Item. Magnum supra uires onus desumpsi: qui de reb⁹
 diuinis dicturus sum. Cauendum tñ ne nimīū abinuicem sepa
 rentur: q̄ orationē obscurā faciant: ut ī hoc exemplo. Nulla sa/
 tis probata apud ciues suos uirtus est. Nō tamen semp concin/
 nū esse uidetur: q̄ adiectiuū a substātiuō intermediamus: si me/
 liorē pꝛsertim sonoritatē habere uideat ut cōtinuo collocent:

quod euenit potissimū: si adiectiuū & substantiuū in genitiuo positū: aliud adiectiuū & substantiuū cui subordinatū fuerit in terlocatū. Aut cū adiectiuū comparatiuū una cū substantiuo fuerit in genitiuo positū. Aut cū aliquam magnā alicuius rei uehementiā importet. Et etiā aliquā adiectiuū positiuū uel superlatiuū in oibus casibus positū decenter contigue tractari pōt. Sed potissimū participia omnis t̄pis cū in concomitantia uel sublequentia cōtinent: sine intermediatiōe collocari solent. Exemplum de adiectiuo & substantiuo ī genitiuo posito. ut eximia pristini nostri amoris magnitudo me uehementer adhortatur ut par mutui beneficii retributio a me tibi referat. Item. Excel lens tuę familię dignitas. & preclarus spectatę uirtutis splendor: & exardescens fruendę uirtutis desideriu ad studiū te plurimū incitare debent. Exemplū ubi adiectiuū cōparatiuū cū substantiuo in genitiuo ponit. ut neminem uideo callidioris ingenii: p̄spicatoris intelligentię: accuratioris excogitatiōis: ingeniosioris scientię: studiosioris diligentię: amplioris doctrine: prestantioris eloquentię: q̄. M. T. C. extitisse. Exemplū ubi magnā uehementiā īportat: qđ cōtingit in ablatiuo. ut. Qui egregias bonarū artiuū disciplinas sūma uolūtate: accuratissima contemplatiōe: & quotidiano studio cōplexi sunt: eas quas exinde sperarūt emolimentorū rationes facili ter cōsecuti fuerunt. Exemplū ubi adiectiuū positiuū ponitur cū substantiuo in oib⁹ casibus sine intermediatione. ut Marcus Aurelius uir officiosus & prudens: cuius uirtus tantę est intelligētię: tantę integritatis: tantę constātie: tantęq; modestię: ut ei tanq; fido socio & hoi sapienti plurimū debeā. Illū igit ad te proficiscentē ut hominem rectū & ingeniosū artificē: ita tibi cōmendo ut meū affinē & gratū hominē. Nā & ego ipso clāro genere nato: & insignib⁹ morib⁹ expolito: atq; aliis magnis uirtutib⁹ p̄redito ī omnib⁹ meis negociis familiariter fretus sum. Exemplum de adiectiuo superlatiuo. ut Lucius Crassus uir peritissimus: cui⁹ ut hominis

integerrimi fides mihi explorata est: a me plurimū diligit. nam & sibi tanq̃ boi amicissimo & pcuratori uigilantissimo ratiōes meas agendas libēter cōmittere soleo: nec unq̃ ipsū optimum amicū derelinquā: quēadmodū ego ipso Lucio Crasso uiro officiosissimo utor familiarissime: ita etiā a te peto: ut causę suę tāq̃ si mea res ageret: te maximope accōmodare uelis: quo gratius mihi nihil efficere poteris. Exemplū ubi adiectiua p̃cipia oīs t̃pis sine intermediatiōe ponūt. ut cū in senatu causā tuā agere cēpissēm: Salustio decernēte: consulib⁹ audientib⁹: p̃fectis legationib⁹: ceteris magistratib⁹ fautorib⁹: senat⁹ est dimissus: obmissis etiā aliis creādis magistratib⁹. Itaq; res in aliū diem delata est: de qua quicquid actum fuerit te certiorē reddam. Decimū quartum p̃ceptum. Quod oratiōes ab adiectiuis sēpius q̃ a substantiuis incipere debeamus: & hoc a positiuis cōparatiuis & suplatiuis: simplicib⁹ & compositis. Itē a relatiuis substantię & accidentis. Itē a participiis in ans uel in rus uel in dus uel in tus desinentibus. Item a pronomiuis primitiuis & deriuatiuis. de quibus omnibus exempla p̃ ordinē sequunt. Exemplum de adiectiuo positiuo. Magnum ego a te beneficiū me recepissem. p̃fiteor: pro quo uniuersam meam tibi operam defero. Item Immortalia enī in me benemerita liberalissime profecta sunt: quę nulla unq̃ mea delebit obliuio. Exemplū de comparatiuo. Maius mihi officium p̃stare nō potuisses: q̃ illud quo tu me hodierna die amicissime p̃stasti. Exemplū de suplatiuo Maximum profecto illud tuum erga me p̃meritum: quo ego a te cumulatissime exornatus sum: reputo mihi summū sūmope re gratissimū. Exemplum de adiectiuis compositis. ut permulta: permagna: perclara: p̃maiora: p̃clariora: q̃ maxima: q̃z o cum / dissima: q̃z amplissima. Exemplū de relatiuo substantię. Qui tibi ex me fructus debentur: cum idonea mihi facultas offeret: eos profecto q̃z superiores suscipies. Exemplū de relatiuo accidētis. Qualia enī ab aliis officia recepimus: talia plerūq; reddere sole /

mus. Exemplū de participio in ans. ut inuigilantes uirtutibus
hoīes & bonarū artiū studiis iugiter insudantes: maxima semp
fui beniuolentia profecutus. Exemplū de participio in rus. ut
daturum operam uirtutibus Albertum nostrum qđ scribis: mi
rum in modū gaudeo. Exemplū de participio in dus. ut exco/
lendus ab omni hominū genere penitus ē christus: qui omniū
hominū est conditor & bonorum elargitor. Exemplū de parti/
cipio in tus. ut consecutum se opera mea cōmoditates q̄s pluri/
mas Ciceronē tibi rettulisse uebementer letor. Exemplum de
pronomine primitiuo. Ego semper tibi amicissimus esse uolui:
quia tu me semp plurimum peramasti. Item. Me quidē in ami/
citia si aliquando experiri uolueris: amicum profecto tibi com/
peries optimū atq; paratissimū. Exemplū de pronomine deri/
uatiuo. Mea quidem diligentia tibi semper futura est paratissi/
ma: quia tuā in me beniuolentiā cognoui mihi semp q̄s prom/
ptissimā. Decimūquintū p̄ceptū. Quanq; ab adiectiuo ap/
posito uel supposito principiū sumere oratiōis cōmodissimū sit
quia tñ aliquando accidit ut dictiones aliq̄ multipharie nō mi/
nus in oratiōis principio optime iacere & pulchre resonare ui/
dent: nō incōmodū uisum est ab eis principiū orationis consti/
tui posse: quę profecto dictiones ex omni genere atq; manerie
octo partiū grāmaticę orationis cōmodissime sumi potuerunt:
ubi adiectiuationes nō tibi cōmode succedent: quod per plu/
ra uidere exempla pulchrum iudicabis. Exemplū de nomine
proprio in principio orationis posito. Brutus quē i his tibi lit/
teris cōmendo: cum mihi sit omniū amicissimus: tū etiam ma/
ximis est uirtutibus exornatus. Exemplū de nomine appella/
tiuo. Homines enī illos quos duplices esse cognoui: ut unum
uerbis dicant: alterū autem resentiant: nisi ipsi aliqua probabili
fortasse ratione ad hanc fictionē compellantur: apud me semp
parū ualere debere constitui. Exemplū de uerbo actiuo. Ama/
bo te semp atq; sūnope diligā: qm̄ tu omnia pro me liberaliter

17
effecisti. Exemplū de passiuo. Videor enī te uidere cum tuas le
go litteras: sed doleo cū appellor īmerito a te negligens: cū scri
bendi facultatē non habuerim. Exemplū de uerbo interest, ut
interest plurimū uirorū prudentiū internoscere quę ad corū rē/
publicā recte gubernandā pertinere uideantur. Exemplum de
uerbo placet & similibus. Placuit semper ac libuit maximope/
re principibus sapiētibus accuratissime pscrutari: quid superio/
ribus aliis p̄cipibus acciderit: ut suppeditet eis quid eueniet
aut eos agere oporteat. Exemplū de gerundio. Agendū est assi
duo ut officiosum aliquid consequamur. [Exemplū de supino.
Relatu multorū nobis significatum est maximū officiosū te ui/
rum esse factū: quo plurimū certe gaudemus. De participio su
pra in proximo dictū est p̄cepto. Exemplū de prepositione.
Ad x. cal. Maii ad urbē cū uenissem ut de multis ac uariis reb⁹
te cōmentarer: te reperire nō potui, quas igitur res te coram
agere uolebā: per litteras absens breuiter significabo. Item ex/
tra iocū sunt ea profecto quę tibi scribo: quę certe sunt a te dili
gentissime consideranda. Item. Post deum nostrū omnipoten/
tem & parentes qui me genuerūt neminē habeo: quē magis te
diligā: magis excolem: magis obseruem: neq; maiori q̄ te beni
uolentia cōplectar. Item usq; quo spiritū perducere potero non
cessabo me tibi gratissimū demonstrare. Item. Ab omnibus ho
minibus hi merito deridentur: qui clarissimas bonarū artiū di/
sciplinas uilipendunt. Item. Coram te cū affuero ea tibi decla
rabo: quę & gratissima fore & cōmodissima tibi uidebūt. Itē de
omnibus rebus quę ad te pertinent: quasq; mihi curandas p̄/
cepisti quid egerim ex his litteris cognosces: quas tibi Galpari
nus meo noīe cōsignauit. Exemplū de aduerbio. Heri litteras
ad te scripsi: hodie uero atq; nūc de te cogito: cras etiā meis te
litteris uisitabo: diligenterq; res tuas p̄tractabo: ut aliquādo in
telligas me semp̄ & iā olim de tuis ornamentis & cōmodis ma
ximopere cogitare. Item. Verū enim uero nisi tandē meliorem

uiuēdi constitutionē defumpleris: conspicio te maxima subitu
rū incōmoda. Itē. Forsitan pua hęc incōmoda quib⁹ ipresentiaꝝ
afficeris: in maximū tibi emolimentū in posterū redundabunt.
Itē. Vix fere me cōtineo quin ad te aduolem: & ea tibi signifi/
cem: quę si feceris tibi plurimū conducēt. Exemplū de interie/
ctiōe. Heu mihi cur ego tuis oībus incōmodis nō affuerim. nā
maximis te pfecto curis atq; molestiis fortasse liberaassem. Item
Hem bone ibesu ita exoro ut nobis ppetuo sis adiumento. Itē
Papę Ita ne se res habet ut narraſti Marce Tulli. Itē Atat quas
huic noſtrę reipu. futuras iminētes calamitates narrat Sempro
nius. Itē. Vba ita ne ab his decipiēdus ego ſemp ſum: quorum
rationibus plurimum me accōmodare ſoleo. Exemplū de con/
iunctione. Et tecū libenter adeſſem: & me tibi libentiſſime ac/
cōmodarē: ſi magne meę atq; aſſiduę cogitatiōes ac occupatio/
nes hoc mihi pmitterent. Itē. Si in hoc meo negotio adiuimen/
tum mihi tuū preſtiteris: pſiciā pfecto q̄ te beneficiū mihi pre/
ſtiſſe letaberis. Item. Igit̄ cum tu plurimū mihi ſemper obſuiſti
noli expectare ut pro his tuis ī me iniuriis debeam magnis te
meis beneficiis exornare. Item. Nunq̄ ullū fuit tempus in quo
nō maximam atq; firmiſſimam tuorū in me benemeritorū me/
moriā continue complexus fuerim: pro quibus equidem iā
tibi cumulate ſatiſſeciſſem: ſi idoneam tibi ſatiſſaciendi faculta/
tem mihi cōparare potuiſſem. Item. An tibi ego unq; nulla ī re
cōtradictur⁹ ſim: qui te mihi ſemp omnib⁹ in rebus q̄ſacillimū
prebuiſti. Item. Saltem uerbis te mihi cōmodare uelis te obſe/
cro: ſi re ipſa adiumento mihi eſſe nō poſſis aut nō uelis. Et q̄
plurima ad hūc modum de omnibus partibus orationis pote/
ris excogitare exempla. Decimūſextū preceptū. Quod diſtri/
butiuis & partitiuis nominib⁹ cōmodiſſime uti poſſum⁹: cū aut
alicuius negotiū partitionē quandā facere uolumus: aut certam
aliquā animi determinationē declarare nitimur. De qua ratiōe
hoc exemplū conſpicere potes. Qđ Catho & L. Clodius a me

plurimū diligunt: neq; enī īmerito eos maximi facio. Nam tū
 alter mihi doctrinam ministrauerit: alter uero magnas mihi re-
 rum facultates prestiterit: non possum abduci quin cū alterius
 uirtute aductus sim: alterius autē copiis adiutus existam: alte-
 ri maxime debeam: alterū etiam admodū diligam: quorū utro
 magis gaudeā aut magis uti uelim non facile diiudico. Pręte-
 rea sepe numero euenire uidemus: ut in cōparatione rerū mul-
 tarū: aut aliud alio laudabilius uel turpius demonstrare: aut cō-
 modius aut deterius persuadere: aut iustius uel iniquius signi-
 ficare uolumus: tunc cōparatiua uidentur omnino necessaria.
 De quo hoc tibi exemplū trado. Si ex omnibus hominibus q
 maximā tibi beniuolentię coniunctionē profitentur. unū tibi
 potissimū adoptasti: qui dignitatē tuā maximopere tueret: ne-
 minē profecto cōmodiorem diligere potuisses: q; Pomponiū:
 cuius studiū pro auctoritate tua collustranda tam maximū exti-
 tisse constat: ut neq; maiorē operam: neq; studiosiorem curam:
 nec ardentiorē beniuolentiā: nec promptiorē quidē diligen-
 tiam quisquā prestare tibi potuisset. Insuper id quidem concin-
 nū est si in omni pene modo dicēdi frequentemur superlatiua
 nomīalia uel participialia aut aduerbialia. quod multis ex cau-
 sis a nobis fieri idoneū esse uidetur. Nā cū in primis ipsa super-
 latiua propter magnā rerū resonantiam magis splendidam red-
 dant orationē: tū etiā efficiunt: ut dicentis sententia longe ue-
 rior & efficacior esse uideatur. Pręterea ipsa superlatiua dicen-
 di stilū reddūt magis amplū: magis longū: magis opimū. Quod
 cum ita sit: apte satis superlatiua quę usui tuo se accōmodabunt
 arbitrato tuo ptractare potes. De quibus hoc exemplū tibi pa-
 refacio. Qđ Antonio tā familiarissime semper fretus sum: tam
 sumopere eū diligā: ut ego summa cū ipso sim familiaritate cō-
 iunctus: nō ē profecto mi Lentulę: q; ulla moueri debeas admi-
 ratione. nā cū is & summo mihi semper amore prestiterit: & ui-
 gilantissimā p rebus meis diligētīā declarauerit: & amplissimā

mibi libertatis beneficentiã patefecerit ut nullũ summũ homi-
nis amantissimi liberalissimiq; officiũ prætermiserit: neq; ullum
maximũ pro salute meã periculũ subterfugere uoluerit: iniquũ
esse duxi nisi ego etiam uirũ me sibi q̃gratissimũ: & omnibus
suis cõmodis & ornamentis q̃promptissimũ demonstrarem.

Decimũseptimũ præceptũ est: Qd̃ oratio frequenter obliqua
sit: id est a posteriorib⁹ in recta constructiõẽ incipiat: siue id qd̃
uerbo supponit: uerbũ ipsum antecedit siue postponat. Exem-
plũ primi. ut Neminẽ posse ad eloquentiã accedere Crassus in-
quit nisi qui multaz rerũ prius scientia instructus sit. Exemplũ
secundi. Hanc unã esse ad bene beateq; uiuendũ compendioz
uiam inquit. Socrates: ut tales simus quales iudicari apud alios
uolumus. Decimũoctauum præceptum. Quoniã genitiuus
in oratione rhetorica sepe numero occurrit necessario tractan-
dus: ei⁹ igit̃ p̃tractãdi ratio erit diligenter cõsideranda. Geniti-
uius ergo præpostere collocef: ut illis dictionib⁹ quib⁹ subordi-
nat⁹ est præponat concinnã p̃fecto sonoritatẽ ip̃ortat: & magno
orationi clarius intelligẽdi adiuuẽto esse uidef. De quo hoc ti-
bi exemplũ describo. Cũ Ciceronis scripta quorũ innumerabiles
cõstant cõmoditatis opportunitates: eos sp̃ plurimum oblecta-
rũt: quorũ anim⁹ officioz reb⁹ semp̃ fuit exposit⁹. non igit̃ mirũ
est: si ei⁹ Marci. T. uolumina a me ipso accuratissimo quidẽ stu-
dio fuerit p̃tractata. Itẽ. Christi p̃cepta q̃ diligẽter obseruãt: eter-
nã gloriã optime cõsequunt̃. Itẽ Oratoris primi p̃cepta a multq;
maximope celebrant̃. Ita datiu⁹ casus in cõpositiõẽ orandẽ ora-
tiõis præpostere posit⁹ bonã reddit sonoritatẽ. ut christo qui se
tradũt: optimã uiuendi rationẽ eligunt. Itẽ. Maiori quidẽ curẽ
dignitas tua mihi esse nõ potuisset: cũ aliud nihil dies noctesq;
q̃ de rationib⁹ tuis excogitem. Decimũnonũ præceptũ. Qd̃
casus tpales q̃ a plerisq; i ablatiuo casu collocari solebãt: ab ora-
torib⁹ in accusatiuo consueuerũt tractari: ut & melior fieret re-
sonantia: & efficacior cõstaret oratio. Et q̃ hoc sit celeberrimũ

sequens uidere potes exemplū. Ego eni multos annos excogi/
 tauī qua ratiōe hoc fieri posset: q̄ oēs christianorū p̄icipes atq̄
 potestates iūrius: odiis ac simultatib⁹ obmissis: tāta essent amo/
 ris charitate cōiuncti: ut ex oībus ipsis tam ualidissimus fieret
 exercitus: q̄ ipsi maxima potētia fieri: infidas gentes atq̄ bar/
 baras oppugnare possent. Quē huiuscemodi cogitatio mea: qa/
 tā honesta & optabilis esse cōstat: nō cessabo dies noctesq̄ me/
 cum aīo puoluere: si quid fortasse conducibile ex hac re posset
 elici. Qd̄ si aliqñ factum: aut constitutū esse uiderem: tunc uite
 cōmutatio (ut mihi uideor) molesta mihi accidere non posset.
 Poterit similiter accusatiuus nō temporalis: in cōpositiōe ora/
 tionis p̄postere poni. Vt. Christū qui uere diligunt: eorū ani/
 mas eterne beatitudini consecrant. Itē. Studiosos equidem ho/
 mines nitor imitari: ut uirum me doctum reddere possim.

Vigesimum p̄ceptū. Ablatiuus in concomitantia positus:
 tū orationes plurimum dilucidare uidetur. Tum etiam narra/
 tionum breuitati potissimū est accōmodatus: qui ablatiuus hu/
 iusmodi: sepe numero deducitur: aut a nominib⁹ propriis homi/
 nū locorū & prouinciarū: aut ab appellatiuis nominibus & uer/
 balibus & participiis: aut ab adiectiuis distributiuis: & ceteris
 etiā positiuis compatiuis & suplatiuis: atq̄ pronominiuis pri/
 mitiuis & deriuatiuis cōiunctis cū nominibus appellatiuis co/
 gnominibus & uerbalibus atq̄ participiis. De quibus hęc pau/
 ca exempla conspice. ut superioribus iā priscis temporibus flo/
 rente Roma Numa Pompilio rege: respublica tūc recte guber/
 nabatur. Verum fluentibus annis. Lucio Silla & Lucio Mure/
 na consulibus: intercumbante Caio Mario nouo consule desi/
 gnato: ciuilis discordia crudeliter insanire cepit: qua ī longū ni/
 mis deducta cōmunis salus ciuitatis acerbissimum est passa de/
 trimentū. deinde paucis post annis potentioribus rerum poti/
 tis: dominante luxuria: nimia exorta iam ambitione: imperan/
 di cupiditas cōualescere cepit: sed auctore Cicerone: sapiētia in

conueniēdis magistratibus: & consiliis administrandis suffra-
gante: respublica a direptiōibus liberata est: expulso p̄sertim
L. Cathelina: & sociis oppressis. Itē. Imperante Octauiano au-
gusto: auctore deo patre: duce ihesu Christo: adiuuante spiritu
sancto: intercedente uirgine Maria: fauentibus c̄lorū constel-
lationibus: omnibus etiā diuinis fatis consentientib⁹: salutife-
ra claritatis lux diuinit⁹ nobis exorta est: qua duce aīas nostras
rationibus mūdane uītē recte constitutis: eterne felicitati con-
secrare ualeamus. Itē. Christo omniū bonorū amplissimo largi-
tore qui gratiarū adiumenta petunt: ut recte id egerūt aliquan-
do consequi poterunt. Itē. Studiosis equidē uiris sedulo studio
libenter usus sum: ut illustratus eorū uirtutib⁹ exaggerari ualeā
Vigēsimū primum p̄ceptū quod est generale circa nomē &
omnes orationū partes: uidelicet: Si substantiua nobis tractan-
da contigerint siue propria siue appellatiua tam hominū q̄ mu-
lierum omniū animalū atq; locorū: rerumq; ceterarum tam c̄-
lestiū q̄ terrestriū: diligenter inspicere & accurate considerare
debemus: quē sit illorū natura substātiuorū: quē uis: quē digni-
tas: quē p̄stantia: quē nobis cū recte perspecta & prudēter co-
gnita fuerint: ea nos faciliter admonebunt: ut substantiuis illis
idoneas cōuenientes proprias cōmodas & condignas nominū
uel participiorū adiectiuationes positiuas compatiuas siue su-
perlatiuas adiūgere debeamus: quē recte & concinne & rei cō-
tracte esse uideant. & etiā substantiuis in genitiuo positis: quē
aliis etiā substātiuis ī regimie subordinant: addam⁹ alia substan-
tiua quē sibi cōmode & congrue addere ualeamus. Addo etiā
q̄ alię ceterę dictiones aliarū partiū orationis eadem ratione ut
nomina uel participia debent esse rei de qua agitur cōueniētes
Quē omnia ut clarius p̄cipi possint in sequenti patent exem-
plo. Qm̄ in. M. T. Cicerone sūmo & celeberrimo quidē orato-
re: tanta erat dicendi uis: eloquentię facultas: agendi ratio: tan-
tęq; ei⁹ constabāt oratiōis diuitię. ut sibi esset insitū a natura: q̄

in ipso esset acutum ingenium: graues sententiae: intenta memoria atque gestus oratorius: omnia poterat animo percipere: memoria custodire: reipublice administrare: & alia cetera gubernare. Erat etiam eius Cicero: sapienter suum in rebus agendis consilium explicare: mente peruenire: oratione persuadere: auctoritate probare: qui etiam amicorum saluti consulebat: multorum insolentiae resistebat: hominibus uirtute praeditis familiariter utebatur: bonos mirifice diligebat: uitios deditos odiose fugiebat: omnia etiam ipsius Cicero in reipublica prouisa prudenter: responsa acute: librata accurate: incepta libenter: perfecta diligenter: gubernata moderate: acta constanter: administrata sapienter esse constabant: Omnia praeterea benedicendi praecipua: ab ipso callidissime animaduersa: uerbis designata: generibus illustrata: & partibus distributa fuerunt: omnes denique praestantes philosophiae rationes: ad bene beateque uiuendum optime pertinentes: ab eodem Cicero fuerunt prudentissime excogitatae: commodissime descriptae: & diuinitus illustratae. Ergo ipse Cicero diuina prudentia instructus: excellenti ingenio praeditus: perspicacissima animi fortitudine munitus: incredibili temperantia decoratus: maxima integritate conditus: singulari modestia illustratus: integra fide insignitus: grauissima humanitate nobilitatus: clarissimis moribus expolitus: omni recta uiuendi institutione cumulatus: & ceteris praestantibus uirtutibus exaggeratus: & huiusmodi summis excellentibus diuinisque uirtutibus eius: per omnes totius orbis terrarum regiones atque partes: clarissimam nominis gloriam & amplissimam uirtutum extermiationem: sibi celeberrime comparauit.

Vigesimum secundum praecipuum est circa pronomina: Quoniam pronomina & proprietatem quandam nominum subintelligunt: & promptitudinem magnam important: & demonstrationem rerum & animorum. Et huiusmodi adiectiua esse constat: quae per se in multis ac uariis dicendi generibus locum habent. Ex quibus equidem pronominibus quantum multas in dicendo commodas rationes elicere possemus: tamen aliquas uideo praeter ceteras diligentius esse

notandas. Vna enī hęc ratio consideranda est: q̄ istis genitiuis
quęq; pronominū mei: tui: sui: nostri & uestri minime uti debea
mus: nisi cū expressum substantiuū habere nō uideant: q̄ profe
cto huiusmodi genitiui absq; substantiuo expresso posito tunc
regunt̄ ab huiusmodi adiectiuis: qui aut copiosam quandam
abundantiā important: aut promptū amorē uel odiū significāt
aut efficacem aliquā cupiditatem demonstrant: ut in hoc patet
exemplo. Cū Manfredus Sonciensis fidei amore plen⁹: mei stu
diosissimus & tui amantissimus: cuius dignitatis ego sum mag
uidus q̄; sui affines: p̄ meas tibi litteras cupiat se plurimū com
mendari. ego autē amore sui maiora facerem: hoc a te peto: ut
iplū Manfredū tua benignitatis gratia recipias exornandū: hoc
tibi psuadens neminē te tui amantiorem esse habiturum. Alte
ra est considerāda monitio: Qđ hęc quinęq; deriuatiua p̄ nomi
na meus: tuus: suus: noster & uester: quanq; p̄ se constēt esse ad
iectiua: alia tñ eis adiectiua sibi idonea addēda sūt: quę illorum
adiectiuorū substātiua ita adiuuēt: ut eorū substantiuorū prestan
tiam aut dignitatē aut amplitudinē aut naturā aut cōuenientiā
magis demonstrēt ac longe clariorē & magis p̄mptā orationis
fīniam explicēt. De quo hoc te expediet exemplū. Optima enī
mea erga te tuosq; oēs beniuolentię cōiunctio: & clarissimę tuę
tuorūq; uirtutes ac etiā amplissima tua in me meosq; benemeri
ta efficiūt: ut officiosa nostra beneficiorū receptorum memoria
ī mortalibus nostris ī nos officiis mutuo correspondere teneat̄
Ex quib⁹ quidē duabus considerationib⁹ habes: q̄ pronomina
primitiua atq; deriuatiua ad multiplicādas orationes plurimū
ualent: & cōmode rhetoricā exaugēt elocutionē. De quo etiā
sequens tolle exemplū. Eximia quidē illa tuę liberalitatis am
plitudo: ex qua me plurimū exaggerasti: iure ipso a me depostu
lare uidet̄: ut nō solum res omnes meas: sed etiam me ipsum to
tum pro omnibus tuis cōmodis & ornamentis exponere te/
near. Pręterea ex relatiuis substantię & accidentis: nostras aut

21

multiplicare aut continuare: aut uariare commodissime orationes possumus: que licet orationes sine relatiuo pferri simpliciter possent: adiuncto tamen sibi relatiuo longe sunt copiosiores longeque apertiores. Possemus enim sine relatiuis nude ac simpliciter orationem in hunc explicare modum. Ego propter magnum Ciceronis in me amorem: & propter insignes eius uirtutes: atque propter multa & magna sua benemerita eum plurimum diligo. Sed ex relatiuis substantie interpositis sic multiplicari potest. Ego enim cum propter magnum Ciceronis in me amorem: quem semper optimum fuisse cognoui: tum propter eius uirtutes quas celeberrimas equidem & insignes esse conspicio: tum etiam sua erga me benemerita: que ab ipso multa quidem & magna recepi: eum profecto mirifice diligo. Item sine relatiuis accidentis nude ac simpliciter sic dici posset. Cum Marcus Cato pro salute sue patrie multa quidem egerit: non igitur immerito ipsum bonum semper ciuem fuisse dicimus. Que oratio ex relatiuis accidentis sic multiplicatur: Cum talem Marcus Cato ratione reipublice se ciuem semper prestitit: quale benemerite reipublice possidere desiderant: tantaque benemerita in patriam suam contulerit: quanta rectus ciuis iure ipso conferre debet: totque pro communi salute pericula propeffus fuit: quot alius quiuis solitus esset sustinere: non igitur immerito omnes Catonem ipsum bonum uirum & optimum iudicare possunt. Relatiua etiam accidentis: ut sunt tales orationes ex huiusmodi relatiuis confectas: necessario sequuntur illa coniunctio infinitans: ut uel que: aut sua correspondentia quibus: quantus: quot & similia: que coniunctiones uel relatiua sint alteri sequentis orationis principium: & sint causa: que aut una alia oratio: aut plures etiam orationes subsequantur. ut in his patet exemplis. Numa Pompilius Romanorum rex officiosissimus: talem se reipublice gubernatorem prestitit: tantum Romanam patriam adiunxit: totque Romanorum ciuibus beneficia contulit: que uniuersa Romanorum

patria imortales sibi gratias referre tenetur. Item Gn. enī Pom
peiūs tales a. M. Cicerone patrociniū fructus recepit: tantas est
ex ipso laudes cōsecutus: totq; imortaliū eius beneficiis exag
gregatus esse uidetur: ut nisi ipse Pompeius beneficiorum im/
memor haberi uelit: perpetua debeat ipsū Cice. beniuolētia cō
plecti: & pari sibi meritorū uicissitudinē respōdere. Simili etiā
modo de relatiuis substantiē exempla sumere posses: quę ppter
breuitatē nolo enarrare: & potuissē tot tibi dedisse pcepta:
quot cōspicis consideratiōes. Vigēsīmūtertū ergo pceptū
similiter circa pnomina sume: uidelicet Qd hoc relatiuum qui
quę: quod: nō construatur imediate cū suo antecedente: sed in/
ter relatiuū & suum antecedēs uerbū interponatur aliquod. ut
hoīes diligo qui paci & studio uacant. alias: qui paci & ocio stu
dent. Cicero eloquentissimus fuit: qui ceteris ī dicēdo prestetit
Platonē omnes in primis laudant: qui rerum diuinarū cogni/
tionē ante alios aperuit. Nōnunq; etiā ornatus causa relati
uū suo antecedenti pponitur. ut Quos in urbe tumultū exci/
tasti: multarū seditionū principiū & causa extiterūt. Similiter
interdum a relatiuo incipimus orationem nullo antecedente
expresso. ut quę tua humanitas est: maiorem beneficiorū ratio
nem q̄ iniuriarū habebis. Quę tua modestia est: ferenda equo
animo contumeliā hanc iudicabis. Nec solū in casu recto: sed
in ablatiuo etiā hac dicendi ratione nōnunq; uiri eloquentissi
mi usi sunt. ut Qua animi prudentia semp extitisti nunq; dubi
tatur: omnia te prudenter consultoq; facturū. Hoc autē relatiuū
is ea id imediate post suum antecedens collocetur. ut. P. Afri/
canus: is qui Chartaginē magna sperantem: leges Romanorum
coegit accipere: omnes sūmos bellorū duces laude glorię an/
recessit. Vigēsīmūquartū pceptū Circa uerba erit necessariū
Animaduerti enī q̄ plurimum in cōpositione dilucidandi sti/
li hoc pceptū esse diligenter obseruandū: ut fini orationis no
strę uerbū aliquod personale uel impersonale: siue finitum siue

infinitū: aut actionem aut passionem significans sit collocandū
 Nam quēadmodum uias faciens: cum multum ambulauerit di
 uersoriū uideat ubi itineris finem & quasi laboris sui terminū
 esse intelligit plurimū recreatur: ita etiam ex uerbis in fine ora
 tionis terminatis: cū sentētia illius totius orationis ante tactę
 apertę explicet: sit ut legentis animus meliori quidē intelligē
 tia acquiescat. Et si illud uerbū longum fuerit aut plurimū relo
 nans: cōcinnioerem profecto si in fine orationis terminat: q̄ si
 in media aut alia orationis ipsius parte collocat: sonoritatē prę
 stabit. de quibus exempla per ordinē uidere pulchrū iudicabis
 quibus scilicet modis: quibusq; rationib; ipsa uerba siue singu
 la: siue plura in fine orationis collocent. Exemplū ubi unū uer
 bum finitū actionem significans unicę orationi inseruiēs in fi
 ne orationis terminat. ut ego enim homines claris uirtutibus
 pręditos tantopere diligo: ut nulla res tam maxima esse posset:
 quā non ego pro illis libenter perficerem. Exemplum ubi uer
 bum finitū in fine positum: duabus inseruit dictionib; ut cau
 sam profecto meā iam faciliter ipetrassem: si amor: si gratitudo
 in quibusdā hominib; extitisset. Exemplū ubi duabus oratio
 nibus uerbū inseruit: ut ego quidē id semper egi: ut & me tibi
 amicissimū extitisse: & tuis omnibus me nunq; defuisse intelli
 gentes. Eodē quoq; modo uerbū i fine positū tribus: quattuor
 uel pluribus siue dictionibus: siue orationib; posset accōmoda
 ri. De pluribus dictionibus exemplū tolle. Nos cū prudentię
 cū iusticię: cum temperantię inuigilauerimus: uitā equidē offi
 ciosam faciliter perducemus. De pluribus orationib; hoc sit ti
 bi exemplū. Miror enim plurimū cur mihi aduerseris: cum ego
 semper tibi plurimū inseruire: affinibus sedulo fauere: atq; ami
 cis tuis uehemētissime opitulari studuerim. Exemplū ubi duo
 uerba finita: quorū q̄libet uicę orationi inseruiat in fine ora
 tionis contigua terminatur. Ego enī rationes omnes: ex quib;
 pro maximis tuis in me officis merito tibi gratificari possim:

exquiro. Exemplū ubi tria uerba finita: quorū singulū singule
oratiōi inseruiat in fine oratiōis terminat. ut Quoniā ea quidē
ratione ad studiū scientiarū accessimus: ut bonarū artium uirtu
tē consequamur: danda est igitur opera diligens: ne ex ipsis stu
diis nisi postq; uirtutē illā quā assequi desideram⁹: adepti fueri
mus: recedamus. Exemplū ubi uerba finita tria numero unice
orationi inseruiētia in fine oratiōis collocant: que sententiam
cōfirmatoriē efficiant. ut ego quidē tanto te diligo: colo: ma
gnifico: q; totā causā tuā libentissime suscepi: curauī: p̄feci. Pōt
etiā ante uerbū finitū unū uel plura uerba infinita collocari: ut
supra ex aliquib⁹ habes exemplis. Et tria nunc tibi subnectere
curabo: ut omēs enī hoīes qui recte uiuere uolūt: deū in primis
colere debent: & diuina p̄cepta seruare tenent. Item, Singula
ria enī tua in me officia merito efficiūt: ut habeam memoriā
tuē dignitatis: quā diligenter obseruari studeo. Itē Marcū enī
Ciceronē ex magna eius facultate tantū facere posse: q; meā cau
sam eius unī⁹ opera & diligentia me assequi posse cōfido. Si
mili etiā p̄ oīa ratione uerba passiōē significātia in fine oratio
nis cōmode sūt collocanda. De quib⁹ pauca p̄pter conformita
tem actiuoz tibi exempla trado. ut illi p̄fecto uiri ab oībus fa
cillime diligunt: quorū uirtutes clarissime conspiciunt. Itē Lit
terę a te mihi sēpenumero mittunt: ex quib⁹ oēs tuę uite ratio
nes optime declarant. Itē a nobis sēpissime noua intelliguntur:
que cū de bono statu significant: maxima p̄fecto cū iocūditate
audiunt. Verba itē neutralia: deponentia: cōmunia: impersona
lia tam actiuę q; passiuę uocis: & plura alia uerba in fine oratio
nis posita: elegantia reddere solent. Exemplū de neutrali uer
bo. Est enī uirorū bonorū atq; prudentiū: ut omnib⁹ faueant &
inseruiant nemini noceant: & officiosis reb⁹ inuigilent. Exem
plū de deponenti. ut iā & si ob sūmas occupatiōes meas: uel fre
quenti familiaritate nostra: uel litteraz uisitatiōe minime ut or
tuorū tñ beneficiorū recordor: quorū nullis quidē temporibus

*ut inferioris
debet.*

obliuiscor. Exemplū de cōmuni. ut prestantissimas bonarū ar/
 tiū disciplinas assidua studendi exercitatione cōplectaris: ma/
 ximopere te hortor: quoniā hęc sunt ex quibus hoies plurimū
 uenerant. Exemplum de uerbo impersonali actiue uocis. Ea me
 opinione atq; uiuēdi ratione spero fore: ut nunq; me pēniteat.
 Exemplū de uerbo impersonali passiuę uocis. Mibi quidem cum
 nihil p̄scribas a nobis alienum esse factum in omnib; estimatur
 & tuū remissum scribendi officiū plurimū coarguitur: & uehe/
 menter etiā accusatur. Item. Ab amicis equidē tuis itur quotti/
 die: uenit: uigilatur: atq; contenditur: ut quo desideras perue/
 nias. Exemplū ubi uerba benefit: malefit: satisfit in fine ornan
 de orationis cōmode terminant. ut tu uide q̄magni inter nos
 interlit atq; referat: ubi enim affinibus tuis atq; amicis pro suis
 in te officiis malefit: a nobis beniuolis nostris plurimū benefit
 atq; semp cumulatissime satisfit. Vigestimūquintū p̄ceptum
 est: q̄ sicut uerba finita in fine orationis posita: egregiā quandā
 habere resonantiā & gratā afferre solere intelligentię termina/
 tionē constat: sic infinita etiā uerba cū sint in fine p̄sertim ora
 tionis cōmode collocata: legentiū aures admodū oblectant: &
 apertā p̄fecto sententiarū & animorū explicationē representāt
 Animaduertas igit̄ qua ratiōe: quoue ordine ipsa infinita p̄so/
 nalia aut ipsonalia: siue singula siue bina siue trina uel cōtigua:
 uel intermedia in fine orationis collocent. De quib; hęc pauca
 que sequit̄ exēpla dabo. Et primū sit exemplū de uerbo infini/
 to i fine posito: unice oratiōi inseruētī. ut si uiri boni uolum;
 esse: non debemus aliqd cōmittere: qđ aliis hominibus nostra
 culpa possit obesse. Exemplū ubi duab; inseruit orationib;: ut
 cū hęc p̄sēns uita hūana admodū breuissima cōstet: & alia quā
 anima sequit̄ sit futura sempiterna: si animę nostrę consultū iri
 desideramus. utili; est nobis a deo q̄ hominib; adamari. Exem
 plum ubi duo uerba infinita in fine posita duab; orationib; in
 seruiunt: ut cum tu semper diligentissimus extiteris: nō solum

salutē meā: sed etiā omniū meorū incolumitatem uelle querere
mibi ego etiā uideor: ullū nō modo officiū: sed ullā etiā i tuos
diligentiā sine maxima culpa posse præterire. Exemplū ubi tria
uerba infinita in fine orationis contigue posita unice orationi
inseruiūt: ut cū nihil hominibus optatū euenire debeat q̄ diui
nam sibi gratiā uelle posse compare: certe ut eā homies sibi adi
piscerent oīa uellent studere agere debere. Exemplū ubi plu
ra uerba infinita ab uno uerbo finito dependēt: ut i superiorib⁹
te litteris admonui: quid te agere oporteret: quid constitueret:
quid curare: quidue in oī ratione deliberare. Exemplū ubi uer
bum infinitū fore ab antiquo uerbo suo suis qd̄ nunc nō est in
usu: qd̄ semp consequēs signat s̄q̄ futurū esse: ut & nullo modo
temp⁹ præsens significare solet: in fine orationis cōmode collo
cat: ut Marcus enī Cicero q̄ maximis a te officiis se exornatum
esse p̄fitei: amplissimas tibi gratias agit: desideratq; aliqñ fore:
ut cumulatissime tibi satisfaciāt. id enī agat libētissime: qm̄ ipsū
gratissimū esse cognoui: hoc igit exploratū habeas uelim. Cice
ronē semp tuū esse fore. Participia præterea: gerūdia & supina
in fine itē orationis aptissime poni possunt: Sed de his exem
pla uidere poteris infra i præcepto: ubi dicemus de participio.

Vigesimū sextū præceptū. Qd̄ ante uerbū uel participiū in fi
ne oratiōis collocatū plepe aliqua dictio longa ponat: que pro
lixa dictio p̄ter egregiā illā sonoritatē quā affert uerbū uel par
ticipiū positū in fine: efficit etiā oratiōis stilū magis extensum
magisq; opimū. Que dictiones ex oibus p̄tibus grāmaticę ora
tionis deduci possūt: de qua ratiōe pauca tibi exempla p̄ponā:
reliqua tu facillime cōsiderabis. Exemplū ubi nomē adiectiuū
suplatiuū ante uerbū in fine orationis terminatū contigue loca
tur: ut si bonarū artiū disciplinis operā accuratissimā adhibue
ris: fructus ex ipsis q̄ amplissimos consequeris. Exemplum ubi
aduerbium superlatiuū iuxta uerbū in fine orationis ponit. ut
nullū enī agendi aut cogitandi locū prætermittēs res tuas dili

gentissime curauit. Exemplū ubi participiū ante uerbū cōtigue
 locat: ut Quintū enī Fabiū ita pro dignitate tua uidi laborantē
 ut eū uirū equidē diligentē existimē. Exemplū de gerūdīo an/
 te uerbū collocato: ut Cū bonarū artū disciplinas necessarias eē
 ad bene beateq; uiuendū existimē: ea igit ratiōe uirtutib⁹ a no
 bis inuigilandū ē: ut dū ipsis recte fruemur aduersē fortunē mi
 nus succubendū sit. Exemplū de supīno iuxta uerbū posito: ut
 ego enī hac semp opinione duct⁹ fui: ut in uero ingenio ueracq;
 doctrina plurimū dignitatē & emolimētī cōstitutū putē. Vi/
 gesimū septimū preceptū ē circa hoc uerbū Sum es est: quod ita
 uerbū cōmodissimū esse cōstat & necessariū: ut in oībus ei⁹ mo/
 dis: tēpibus: numeris & psonis tantas afferat opportunitates ad
 multas & uarias oratiōes in dicēdo ptractādas: ut omniū pene
 uerborū pater & adminiculū merito iudicari possit. Nā p̄terea
 tpa uerborū passiuorū: deponentiū: cōmuniū & neutrorū dese/
 ctiuorū: tū etiā infinita: participia: gerūdīa & supīna: ip̄o uerbo q̄
 sepissime tantū indigēt: ut aliqñ uim suā cōmode qdē exp̄mere
 nō possent: uisi uerbū ipsū sum es ē: eis ipsis adminiculet: & i oī
 oratiōis pte suū prestaret adiuuamentū. Et omittēdo exēpla in
 quib⁹ dictio est aliqñ p̄tinentiā ip̄ortat: aliqñ officiū significat:
 & aliqñ pp̄rietatē demonstrat. Exemplū ponam⁹ ubi dictio est
 post participiū in fine oratiōis cōmode locari solet: ut Marc⁹ enī
 Brutus in causā nostra ita diligēs est: q̄ oēs p̄fecto rationes que
 nobis p̄desse p̄nt studiosissime p̄tractās est. Itē. Tantā enī operā
 Quint⁹ Hortensī⁹ eloquentiē studiū adhibitur⁹ est: q̄ orator q/
 dem celeberrim⁹ p̄pediē futur⁹ ē. Exemplū ubi dictio est: post
 gerundiū collocat: ut hoc a nobis diligēter obseruandū ē: ut bo
 narū artū studiū officiosissime a nobis p̄tractandū ē: aut studen
 di officiū enitendū ē. Exemplū ubi duo est p̄ supīnū poni: ut
 Qd̄ a te mihi mādatū ē studiosissime qdē p̄fectū ē. Itē Hoc enī
 ē facile dictū: sed nō facile factū ē. Notauit etiā q̄ post infinitiū
 esse apte collocant̄ participia oīū tēporū: que & elegantē hñt cō/
 D.

sonantiã:& gratã intelligētē terminationē relinquūt: ut hæc q̄
sequunt̄ exempla declarāt ut accuratissima illa quidē agēdi cu/
ra quã uidim⁹ Curionē p te esse sustinentē: satis nos admonere
uideſ ut ipsū Cl. in reb⁹ tuis iudicemus esse diligentē. Itē. Quid
mibi de reb⁹ tuis curandū mādaſti uelim tibi pluadeas id me li
benter esse facturū. Et multa ad hūc modū silia exēpla. Vigē/
simū octauū p̄ceptū. Quanq̄ in rhetorica oratiōe struēda hoc
sit p̄ceptū p̄ter cetera diligētē obseruādū: ut ī fine oratiōis
uerbū aliqđ collocet: qđ orationē splendidā: p̄stantē: ac pluri
mū resonantē efficiat: p̄ſepe tñ cōtingit: ut uerba illa quę in ora
tiōe cōcurrūt collocāda: aut breuia sint: aut parum efficacia aut
q̄lū muta: aut parū resonātia: aut fuerit adiectiuū aliqđ & substā/
tiuū cōmode intersecātia: & alię multę dictiones: quę uel lon/
giores uel cōcinniores esse cōstēt: in fine oratiōis longe apti⁹
uideant̄ terminari: non erit incōmodū si alias cōmodiores di/
ctiones in fine oratiōis collocem⁹: quas equidē dictiōes ex oī
bus ptib⁹ grāmaticę orationis uerbis & interiectionib⁹ except̄
ut in sequētib⁹ descriptis exēplis uidere potes: apte quidē desu
mere poteris. Exemplū de noīe pprio in fine ornādę oratiōis
terminato: ut litteras tuas ad me detulit Antoni⁹: q̄s tuo noīe
mibi assignādas: sibi cōsignauerat. M. Tulli⁹. Exemplū de ap/
pellatiuo: ut p̄clarissimas equidē uirtutes adamarūt semp p̄
stantissimi uiri & officiosi hoies. Exemplum de appellatiuis ī
tus & in tio terminatis quę gregiã elocutionis suauitatē effi/
ciūt: ut tanta quidē erat Gasparini Barsizii pgameñ. in legendo
elocutiōis sonoritas: & in cōmutando humanitas: ut neminē
unq̄ offendere potuisset. illa ei⁹ dicēdi ac cōuerſandi cōmuni/
catio: qm̄ ex ei⁹ pnūciatiōe melle dulcior fluebat oratio. Ex/
emplū de noīe primitiuo in fine posito. Tua quidē erga me of/
ficia p̄petuo cōmemoratu digna id efficiūt: ut nō min⁹ te diligā
ac si mibi pprius esses frater. Exemplū de deriuatiuo. Maxi/
mope te semp adamabo: qm̄ amore me semp obseruasti confra/
terno. Exemplū de cōpatiui in fine posito. Nō potuissē in

reb⁹ tuis fieri diligētior: p^o quib⁹ equidē tantā adhibui curā: ut
 nulla a me potuisset adhiberi maior. Exēplū de suplatiuo. Oī/
 bus ī reb⁹ sedulo me tibi cōpies paratissimū: qm̄ in oībus etiam
 meis cognoui te mihi semp obsequētissimū. Itē Pompeius uir
 in oībus rebus subtiliter cōsiderādis fuit prudentissimus. Item
 Munus hoc recepi a te suauissimū. Exēplū ubi oratio in no/
 men aliqd̄ egregiū & insigne terminat: ut Quē ad me scribis sūt
 egregia: & hoc ope p̄p̄ciū laudat. Similiter laudat si oratio dictio/
 nē habeat uniuersalē negatiuā in fine: ut nullus & nemo. uel af/
 firmatiuā: ut oīs & quilibet. Exēplū de negatiua. Quē te ma/
 gis diligā habeo neminē. Exēplū de affirmatiua. Quē uir bo/
 nus facit laudāt oēs. Exēplū de p̄titiuo noīe ī fine posito: ut
 ut horū quē mihi p̄posuisti uellē neutrū: sed tñ si elaborandū ē
 in alterutro: ut nobis oīno suscipiēdum sit alterū: placet magis
 supius: cū p̄sertim necessario eoz a nobis ingrediendū sit alte/
 rū. Exēplū de p̄noīe primitiuo ī fine oratiōis posito: ut q̄lis
 erga te semp extiterim ego: facilius longe potes iudicare tu: q̄
 tibi p̄suadere poterit is ille: q̄ optime nostri cōuentioni pluri/
 mū studet esse detractū. Exēplū de p̄nomie deriuatiuo. Qm̄
 tibi p̄mptissimū atq; oībus in rebus obsequētissim⁹ animus
 fuerit me⁹: hoc relinquā aīo iudicandū tuo. Exēplū de p̄ticipio
 in fine orationis terminato: ut Sū p̄pediē ad te uentur⁹ q̄z plura
 tecū ad utriusq; nostrū cōmoditatē p̄tinētia cōmētatur⁹. Exēplū
 de gerūdio in fine posito. De tuis reb⁹ a me nullū p̄fecto temp⁹
 p̄termittit⁹ & agēdi & cogitādi. Exēplū de supino: ut Quāto
 ope te diligā esset p̄fecto p̄difficile dictu. De quorū p̄ticipiorū
